

\_Lettera\_N\_2088

Al papa Pio IX

Romae, anter. 26 februarii 1875

Beatissime Pater,

Inter ea quae in Ecclesiasticis Institutis ad animarum salutem conferre possunt recensenda esse videtur facultas praesentandi ad Sacros Ordines loco et tempore opportuno. Qua in re, Beatissime Pater, (3 aprilis 1874) Salesianae Congregationi jam concedere dignatus es Dimissoriales Litteras relaxari posse ad episcopum dioecesanum juxta decretum Clementis VIII die 16 martii 1596. Nostris vero temporibus, quum ob sacerdotum deficientiam summopere urgeat eorum necessitas in nostris regionibus eoque magis in exteris Missionibus suscipiendis,

atque domibus ibique adaperiendis, ad Sanctitatis tuae pedes provolutus, pro lucro animarum, pro Missionum necessitate et pro Ecclesiae utilitate tamquam singulare donum Salesianae Congregationi concedas suppliciter peto:

“Ut clerici nostrae congregationis, dummodo necessariis praediti sint requisitis, suorum Superiorum litteris dimissorialibus Sacros ordines extra tempora a

sacris canonibus instituta, a quocumque catholico Episcopo gratiam et communionem habente cum Apostolica Sede, suscipere libere ac licite, servatis servandis, possint et valeant”.

Hujusmodi privilegium praelaudatus Clemens VIII die 23 novembris 1596 jam concesserat pro congregatione S. Ioannis Evangelistae in Portugallia. Postea multi alii religiosi hoc idem sunt consecuti. Quo demum privilegio Sanctitas tua adnotatis verbis dignabaris Congregationem Missionis, Brevi Religiosas familias 13 maii 1859.

Ut hoc magnum beneficium addas aliis fere sine numero nobis benefactis, tamquam singulare donum Sanctitatis tuae pro Salesiana Congregatione humillime provolutus supplex postulo.

Joannes Bosco Sacerdos